

Franckesche Stiftungen zu Halle

Salomonis, Regum hominumque, peccati labe laborantium, sapientissimi, Proverbia & Ecclesiastes

Breithaupt, Joachim Just

Magdeburgi, 1717

VD18 11104074

Carmen Tertium. In Festum Pentecostes.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216270

Sæpius adstantem vidit, coluitque docentem ^k.

Tantus, NATE DEO, humanis qui amplexibus
hæres ^l,

Respice res hominum fessas; animisque serenâ

Pace tuâ, & vivo præsens illabere motu ^m!

Sat curis nugisque datum est ⁿ. Te iudice corda,

Sublatis reclusa dolis, longo ordine rerum,

Hic commissarum, tanquam monumenta, pateſcent.

Effice sancta tuo nos omnes Numine templa!

Incole: nec quicquam in nobis admitte profanum ^p!

Exspectatus ades nostris, atque annue cœptis ^q

Semper: ut *Eusebie* æternâ nos luce coronet ^r!

CARMEN TERTIUM. IN FESTUM PENTECOSTES.

Benedictio Abrahæ, impleta!

*Paſſum Evangelicum, quod DEUS Abrahamo, ut Patri credentium, confirma-
vit; benedictionem, per Adamum primum amiſſam, per alterum Adamum,
ſemen Abrahæ, ſolenniter reſtitutam, offert. conſiſtit hæc autem, non mo-
dò in acquiſitâ redemptione Chriſti, applicandâ ad remiſſionem peccato-
rum; (Galat. III, 13, 14. Ephes. I, 7.) verùm etiam, acquiſitâ eodem
merito, effuſione Spiritûs S., applicandâ ad converſionem hominum, ſeu re-*

Uu 2

nova-

(k) 1. Cor. XV, 8. Ael. IX, 5. XXII, 14. XXIII, 11. XXVIII, 23. (l) Matth.
XXVIII, 20. (m) Johan. XX, 21, 22. (n) 1. Petr. IV, 3. (o) Eccl.
XII, 14. 1. Cor. V, 5. (p) 1. Cor. III, 16, 17. VI, 19. (q) Johan. XV, 5.
(r) 1. Tim. IV, 8. 2. Tim. IV, 8.

novationem: [Gal. III, 14. Eph. I, 7, 8. Ad. II, 33. 39. III, 25, 26. Tit. III, 5, 6, 7.] quam applicationem apud singulos ne Satanas impediatur, curandum omni sollicitudine & precibus.

Ritus erat quondam populis; sic foedus inire,
Ridiffectas pecoris partes medii inter ut unâ
 Transirent, corpusque ita miscerentur in unum.
 Quæ sacra non homines olim effinxisse, sed ipso
 Orta autore DEO; magni satis omen Abrami^a
 Edocet, ætheriâ flammâ quod transiit artus
 Divisos: reCOLens æternâ ab origine pactum,
 Quo cœlorum agnus, mactatus & ante creatas
 Res cunctas^b, lapsa Patris instauravit amorem
 Humano generi, promissa ingentia nactus.
 Hæc data dein primo, crimen qui induxit, Adamo^c:
 Hæc repetita Noæ^d; tantoque hæc tanta paratu
 Confirmata Abrahæ^e, Jacobo^f, amploque Davidi.
 Qui pariter vates, multis cum vatibus, illa
 Detexit miseris mortalibus: æthere ab alto
 Quod venturus homo DEUS ipse^g, in tempore pleno
 Ritè occidendus, ceu victima^h; quodque per ictum
 Foedus inexhaustos cœlestis imaginis ignes

Sit

PARALLELISMUS CARMINIS III.

- (a) Gen. XV, 17. Jerem. XXXIV, 18. (b) Apoc. XIII, 8. (c) Gen. III, 15.
 (d) Gen. IX, 26, 27. (e) Gen. XXII, 18. (f) Gen. XXVIII, 14.
 (g) 2. Sam. VII, 19. (h) Ps. XXII, 17.

Sit reparaturus terris^l, pastorque futurus,
Non terrena ferens, sua sed sanctissima dona^k.

Interea Satanas, obliquâ mente, videbat
Spes hominum; atque animo versabat talia secum.
Haud datur, has victæ gentis rescindere sortes^l:
At capere incautos potero fallacibus antè
Sensibus^m, ad tantas quàm sese attollere possint
Lucis opes; falsâ potero dulcedine corda
Ludere, quæ captent solùm terrestria fataⁿ.
Hoc ait; atque facit. Longa est injuria, longæ
Ambages; quibus ille, doli fabricator, honores
Omnibus oblatos vulgò occultârit: ut alta

Uu 3

Mu-

(i) Ps. LXXXIX. 3. (k) Ps. XXIII. 1, 2, 3. (l) Matth. XVI. 18. (m) 2. Cor. IV. 4. (n) Phil. III. 19. BASILIUS M. Homil. XXI. Noli, in Diaboli deceptionem incidere. Invidit enim tibi: invidit, inquam, cum te è paradiso expulit. Per illum sentes & tribuli; per illum sudor, & exilii principium: in quod incidens, ne obliviscaris antiquæ patriæ. Memento nobilitatis tuæ. Recordare patriæ, unde excidisti. Reminiscere, quanto ille te damno multavit. Ne sequere illum, nève cum eo commercium suscipe ultimum. Bis enim te læsit. Primum, cum te ab initio ejecit. Deinde nunc reditum tuum turbare contendit. Incommodum namque tibi primum intulit per mulierem. Et rursus per mulieris concupiscentiam restitutionem tibi prohibet amissorum. Fornicationem excogitavit, ut regno cælorum prohibearis. Primâ jacturâ minimè contentus, secundas etiam excogitat vias, cursum nobis ad beatam vitam obstruens mentiendo: quandoquidem murus quidam, & impedimentum nobis, iter facientibus paradisum versus, mendacium est; cujus remore sunt innumere. Eiusdem quasi germina, crudelitas, asperitas, avaritia, contumelia, & quæcunque verbo veritatis repugnant: quæ omnia sunt Diaboli adversus nos tela infesta.

Munera, quæ Dominus sancitâ lege sponpondit,
 Abramo ante alios, totum spargenda per orbem,
 Non nisi de vanis opulentæ pacis habendis
 Fructibus acciperent plerique, nec ardua Christi
 Sceptra bonis longè majoribus aucta putarent;
 Quicquid in adversum canerent sancto ore Prophetæ^o.

Sic malefuada caro, rebus sufflata secundis,
 Captiva insidiis tradit præcordia, cœco
 Affectu; ut veræ maneant ignara salutis^p:
 Nescia, Divinos promitti luminis haustûs
 In Christo, vitæ non enarrabilis auram^q.

Tandem ergò, has properans tenebras dispellere,
 fummus

Auxiliator adest: jam tot per secula tractum
 Filius ipse DEI consummat fœdus^r, & ultrò
 Hostia de ligno pendet^s; tum pectore sancto
 Scissuram patitur^t, ne quid solennibus illis
 Desit: ubi in pacem æternam ligat, ecce! Parentis
 Numen & humanos animos, nil tale merentes,
 Purpureo obsignans benedicta paterna cruore^u.

Quæ quoniam longis tunc obscurata latebant^x

Tem-

(o) Ps. XXXIX, 8, 9. LXXXIV, 11. CXLIV, 8. -- 15. (p) Marc. X, 23, 24.
 (q) Matth. XX, 22. (r) Luc. I, 72. (s) 1. Petr. II, 24. (t) Joh. XIX, 34
 (u) 1. Petr. I, 18, 19. (x) Luc. XVIII, 34.

Temporibus, nebulas obductas mentibus aufert
Ante obitum. Quænam illa, inquit, quæ stulta cu-
pido

Ævi mortalis, vestras ita fascinat aures,
Ut lethum, via quæ corruptis prima medendi
Est rebus, semper fugiant errore maligno;
Vosque, sitas in me spes amplas, reddere nullas
Haud pigeat, frustra mundi hujus præmia vobis
Spondentes? Pacem vobis dabo, pignoris instar;
Non, quæ deliciis terræ fragrantibus halat:
Quin pacem donabo meam; quâ armatus in um-
bram

Me necis immitto, nulla infortunia curans,
Sponte ferens plagas, omnis securus acerbi.
Telluris non ista seges: sublimior astris,
Prædicta est, virtus, proficisci à semine magni
Abrami, & cunctis deberi gentibus olim^a.
Adsum, hoc semen, ego præfens; quod quæritis unum^b:
Impleo solus ego fortunatissima dicta!

Mortis ut ante horam dixit; post atra resurgens
Funera, sic iterum: stat pollicitatio Patris;

Quam

(y) *Matth. XVI, 22, 23. Joh. XII, 24, 25. (z) Joh. XV, 27. (a) Act. II, 39.*
Gal. III, 14. 2. Cor. IV, 13. (b) Gal. III, 16.

Quam merui, quam vos capietis flumine largo,
Nec non vobiscum, credent qui in nomina nostra^c.

Tali igitur monito postquam disjecerat hostem
Ex animis, coram scandentem sidera supra
Lustrârunt JESUM: nec de præsentibus arcta
Cura momordit eos; quia tota intenta gerebant
Pectora in arcani patrii venerabile pignus,
Haud multis quod erant jussi expectare diebus ^d.
Atque ita completur lux quinquagesima tandem,
Lux, quâ post lapsum nunquam præsentior ulla
Exstitit auxilio miserandæ prolis Adami.

Contremuere orci penetralia, nocte sub imâ,
Quando horrenda ruit tempestas desuper, imis
Ex cœli latebris. non illa illabitur imbre,
Ut quondam, terras humectatura gementes:
Sed sonitu ciet ora virum, fugat aëre toto
Agmina spirituum pravorum; & munera portans
Maxima, quæ linguis sub comparentibus ignem
Fulmineum referunt, Divinus Spiritus ultrò
Invehit, insinuans purganda in corda precantum.

Continuò rerum facies nova prodit: ab urbe
Confluit in tectum id solum, quod turbine miro

Vi-

(c) *Luc.* XXIV, 24. *Actor.* I, 4, 5. (d) *Actor.* I, 14. II, 1.

Viderat impleri, gens omnis. & ecce! micantes
 Flammarum linguas oculis, atque auribus haurit
 Tot Galilæorum resonantia vocibus ora
 Externis, sua quemque domi quot patria linguis
 Alloquitur. Stupet acer Arabs, Cretensis & orbis
 Incola; tum civis Parthorum, & Medus Hydaspes:
 Atque Elamitarum populus, Syriæque fluenta
 Quos aluere; & quos Judæa, & terra propinqua
 Cappadocum misit, Ponti que, Asiæque minoris,
 Pamphyliæ, Phrygiæ, Ægypti, Lybicæque Cyrenes:
 Advena Romanus quoque, seu Judæus ab ortu,
 Sive Profelytus est, Solymæ qui sacra recepit.
 Quilibet attonitus stetit hîc, hærentia corda
 Expleri nequit, accipiens notissima verba,
 Atque Dei immensas laudes; spiramine cujus
 Afflatos cernunt, nec celant spemque metumque^e.

Usque adeò visum est, speratum effundere donum
 In gentes omnis generis ^f, cornuque salutis
 Spargere, & omne bonum, quod confirmârat Abramo
 Omnipotens ^g. Qualis facta est discordia, quando
 Linguam unam in multas migrare, incepta Babelis
 Ausa, adversa DEO, senserunt ^h: talis easdem,

X x

In

(e) *Act. II*, 1, 12. (f) *Act. X*, 35. (g) *Luc. I*, 69. - 73. (h) *Gen. XI*, 7.

In melius versas, sequitur concordia, ab uno
Autore in cunctas cùm exivit gratia terras ⁱ.

Maçte tuâ spe, Magne Abraham! tua didita latè
Progenies *Fides*, voti saturatur opimis
Fructibus ^k. Ipsa diu miros miracula motus
In populis peperere ^l: at, rarefcentibus illis,
Non minùs ipsa Fides, quam tot portenta, tubarum
More, ostentârant, sua spiramenta ministrat
Divina; ac mentes pacti potiuntur amœnis
Fontibus, averfæ solitis à sordibus ævi ^m.
Non aliter, largos si æther molitur aquarum
Fundere thesauros; primùm ingruit horror ab axe,
Intonuère poli, crebrescunt fulguris ignes:
Mox verò à tantis cœlum sibi temperat orsis;
Nec tamen absistit, pleno sua dona favore
Largiri, & toto in terram descendere nistâ.

Jamque agite, ô *Cives*! memores, quæ sacra
quotannis

Arçia tam festis juvet his celebrare diebus:
Sistite vos aptos, quibus indulgentia Sancti
Flaminis, à Christo partas, immittere vires
Gaudeat, æterni roris medicamine gratas.

Vos

(i) *Act.* II, 46. (k) *Rom.* IV, 12. (l) *Act.* X, 47. XIX, 6. (m) *1. Cor.*
XIV. 22. *Act.* III, 25, 26.

Vos etiam in partes foecundi foederis almaⁿ
 Religio vocat; & superans clementia fati,
 Spernere dona, vetat, vitam quæ sola perennem,
 Et dotes sine fine dabunt. Fuligo erat ista
 Pristina seclorum, vota ut prægnantia luxu
 Jactarent, quasi digna DEO; tenebrasque juberent,
 Cum Satanâ, amplecti^o. Non nos, non nostra, co-
 rusca

Lucis Apostolicæ radiis, documenta colendi
 Numinis, ille decet torpor. Contemnite vanum
 Errorem; &, precibus muniti, credite, vestram
 Esse illam, data quæ priscis credentibus, arrham p
 Coelestem: non, ut modò spem pascatis inanem;
 Verùm, ut viva, DEI præsentis conscia, cura
 Intra vos habitet, verboque exsuscitet ignem q
 Baptismo r accensum; liceat quo absumere pravum

X x 2

Pon-

(n) Act. II, 39. (o) 2. Petr. II, 13. (p) 2. Corinth. I, 22. V, 5. Ephes. I, 14.
 (q) 2. Cor. XIII, 5. 2. Thess. I, 11. 2. Tim. I, 6. (r) GREGORIUS Na-
 zianz. Orat. XL. Baptismi gratia & facultas, non orbem terrarum, ut
 olim, aquis obruit; sed uniuscujusque hominis peccatum purgat, easque ob-
 structiones vel maculas, quæ vitio contrahuntur, prorsus abstergit. Quan-
 doquidem autem duabus partibus, hoc est, animo & corpore constamus; qua-
 rum altera in aspectum cadit, altera oculorum sensum fugit; duabus quoque
 rebus constat Baptismus, aquâ scilicet & spiritu: illâ visibili & corporeo
 modo acceptâ; hoc verò incorporeo & invisibili concurrente: illa typicâ, hoc
 vero, atque intima purgante. — Si te luminis persecutor, & tentator, post
 Baptismum adortus fuerit, ut cerè adorietur; [nam & Verbum & Deum